

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0012

0010

0016

0006

0021

0001

0061


0111

0511

1011

Ende

Anfang



De secundo ingressu peregrinorum in dominicum sepulchrum et de creatione militum in eo et de commendatione ejusdem militiae.

Decima septima die, quae est S. Alexii confessoris praecedenti vespera, cum venissemus de Bethlehem, vocati fuimus omnes ad atrium templi sancti sepulchri. Festinavimus ergo, et ad templum descendimus, et multos Sarracenos quidem ibi invenimus et mercatores, sed nihil eorum, quae mandi possent, venale reperimus, sicut prius, et de hoc conturbati fuimus, quia lassi ex itinere fuimus, et parum quievimus, nec coenam feceramus, et illa spe velocius descendimus putantes, nos cibos reperturos in atrio, quos manducaremus in ecclesia, sed nemo illos dabat. Nescio enim, ex qua caussa contigit, vel quis practicaverit, quod domini custodes templi Sarraceni prohibuerint in civitate, ne quis peregrinis apportaret cibaria.